

ARTICULUS VI.

Utrum in omni actione debeat aliquis ultimum finem habere, vel actualiter, vel virtualiter?

Duo in quæstione proposita insinuantur: alterum de re ipsa, alterum de modo. De re ipsa, an quælibet actio in finem ultimum ordinatur? De modo, an ista relatio, et ordo debeat esse formalis et actualis; an sufficiat, quod sit habitualis, vel interpretativa, vel virtualis? Quomodo vero differant inter se respectus isti, statim explicabimus.

TRIA SUPPONENDA PRO RESOLUTIONE.

I. Cum inquirimus, an omnis actio sit propter ultimum finem, tres terminos oportet explicare, quos præsupponimus. Primus est ly omnis actio, quid scilicet sub illa universali distributione comprehendamus, quid excludamus. Secundus est ly ultimus finis, an loquamur de ultimo fine formaliter in communi, an etiam determinate, et materialiter in particulari. Tertius est ly fit propter finem, an omnis actio sit propter finem actualiter, vel virtualiter, et quot modis actio sit propter finem, seu in illum referatur.

Circa primum: in illa distributione universali nomine omnis actio, intelligimus omnes actiones in finem referibiles; si enim in finem proximum referibiles sunt, etiam ultimum habebunt; sicut omnis effectus, qui efficienter est a causa secunda, et proxima etiam esse debet a causa prima. Actiones autem referibiles in finem, quædam sunt referibiles ab ipsomet operante, quia operatur cum cognitione discretiva

finis, ut sunt actiones humanæ; vel sunt referibiles ab extrinseco dirigente, sicut actiones naturales, et quæ in potestate voluntatis non sunt. Et licet in præsentī, ubi agitur de fine ultimo moralium actionum, principaliter agatur de prioribus actionibus quæ humanæ sunt, et de illis videtur inquisivisse D. Thomas cum in articulo sexto, hujus quæstionis tractat, an omnia quæ vult homo, velit propter finem: tamen eadem resolutio extendi potest ad actiones naturales, respectu sui extrinseci dirigentis, quia ille dirigens, sicut naturales actiones dirigit ad suos proprios, et determinatos fines, qui sunt fines proximi; ita illos fines rursus subordinare debet ultimo alicui fini, aut saltem eadem necessitas quæ urget, ut omnes actiones humanæ a proprio operante referantur in finem aliquem ultimum, militare debet, ut actiones naturales ab extrinseco dirigente, et emitente ordinentur in finem ultimum, proportionem servata.

II. Circa secundum: nomine ultimi finis, non solum intelligitur formalitas ultimi finis in communi, et in abstracto, sed etiam in concreto, et in particulari, seu pro ultimo fine materialiter, et determinate, non in communi solum, et formaliter. Nam quod omnis actio voluntatis sit propter bonum, loquendo in communi, et absolute, dubitari non potest, cum formalis ratio operandi voluntatis sit bonum sub ratione boni. Sed quod detur aliqua causa finaliter movens, et influens, ita ut causalitate sua allicitiva, et metaphorica moveat ad actionem, requirit quod talis finis sit bonum quoddam in concreto, et determinate, tamquam appetibile in quod tenditur. Et de hoc inquiritur, an detur pro omni actione finis ultimus, seu aliquid quod finali causalitate moveat, tamquam ultimum

in illa linea, et ordine finaliter movendi. Et quidem dubitatio apud plures est, an Deus respectu omnium actionum sit finis ultimus, etiam determinate, et in particulari sumptus: et an requiratur, quod præcedat intentio circa ultimum finem, tamquam distinctus actus, et distinctum objectum ab objecto, et actu, qui versatur circa finem proximum, vel circa medium. Cæterum sive Deus in particulari, et determinate sumptus sit finis ultimus ex directione ipsius appetentis, aut extrinseci dirigentis, sive res aliqua creata assumatur pro fine ultimo in particulari, et determinate, sive diverso actu intendatur finis, et appetatur medium, in præsentī loquimur de fine ultimo, non solum pro ratione formali appetendi, et finalizandi, sed pro ipsa re finalizante, et movente, quæ respectu actuum sibi subjectorum, circumstantia est, ita ut sicut in omni actu datur circumstantia finis ultimi, ita quod finis ultimus non solum ut ratio volendi, sed ut res volita, sit attentus.

III. Circa tertium oportet advertere quatuor modos, quibus aliquid potest referri, et ordinari in finem. Primus est per expressam, et formalem volitionem, et tendentiam in ipsum. Secundus per virtuales. Tertius per interpretativam. Quartus per habituales. De quibus videri potest Cajetanus 2-2, quæst. XXIV, art. x, quamvis ibi interpretativæ relationis in finem, non meminerit. Expressa et formalis relatio, seu ordinatio in finem, est quando ex intentione actu existente erga finem, derivatur electio seu volitio eorum, quæ sunt ad finem. Itaque necesse est, quod non cessaverit intentio finis, quando quis ordinat aliquid, et facit propter finem ordinatione expressa, et actuali. Et

quia actualis intentio subsistere non potest sine actuali propositione objecti, quia actu amare non potest voluntas, nisi id quod actu sibi proponitur amandum, ideo actualis intentio præsuppositive requirit actualem cognitionem, et notitiam de objecto: præterquam quod si actu ordinatur aliquid in finem, finis actus causat, et finalizat ipsum; idem est enim actu ordinari, et actu finalizari a fine; non finalizatur autem aliquid passive, nisi finis active finalizet. Ut autem finis actu finalizet, requiritur, quod sit actu cognitus, et apprehensus. Nec tamen sufficit actu esse cognitum finem, etiamsi sit actu intentus; quia ea quæ ordinantur ad finem actu, et finalizantur ab eo, non solum dependent a fine cognito, sed amato, et intento, si quidem ex amore finis procedit quis ad appetenda media; sicut ex principiis cognitis ad illationem conclusionis. Ergo actu referri in finem intentionem, et amorem finis actualem postulat, ut ex intentione influat in volitionem mediorum, ut bene expendit Ægidius a Præsentatione libr. I de fine in communi, quæst. XVI, art. VII, et Vazquez 1-2, disp. VI, cap. I, contra Suarez 1-2, disp. II, quæst. IV, id sub dubio relinquentem. Requiritur ergo ad actualem ordinationem in finem, cognitio actualis de fine, intentio ejus actualis, et volitio ejus, quod est ad finem cum expressa ordinatione, et relatione pro fine consequendo.

IV. Secundo virtualis ordinatio requirit intentionem et cognitionem finis præcessisse, et non esse revocatam per contrariam intentionem; continuari vero, et coordinari cum eo, quod est ad finem, non in se ipso, sed in effectu suo, et virtute. Virtualis quippe ordinatio, et intentio distinguitur ab actuali, quod ista actu permanet et existit, illa in

virtute, seu effectu relicto : sicut causa virtualiter operans, discernitur ab actualiter operante, quia hæc ut existens actu operatur, sicut cum ignis calefacit, vel generat alium ignem per semetipsum; virtualiter autem operans, per virtutem ab aliqua causa relictam, etiam causa ipsa non existente, operatur; sicut calor ab igne relictus, etiam igne ipso absente, vel extincto, calefacit; et semen ab animali decedens etiam ipso animali mortuo, elaborat foetum; et virtus solis intra viscera terræ operatur, etiam ipso absente. Ut autem virtus alicujus causæ operetur, necesse est quod a tali causa derivetur, quando actu est : alias si nunquam actu fuisset illa causa, nunquam ab illa emanaret virtus. Ergo similiter, ut finis intentus dicatur virtualiter finalizare, oportet quod præcesserit aliquando intentio finis, et ex illa dicatur manere aliquid cujus vi finalizet, et consequenter cujus vi aliquid ordinetur, et referatur in finem : idem est enim ordinari in finem, et finalizari ab eo; finalizari autem passive, oritur ex finalizare active. Et sic idem est virtualiter referri in finem, et finem virtualiter finalizare. Unde requiritur aliquando finem actu fuisse intentum, alias non posset talis virtus ex intentione finis remanere. Et ad hoc etiam necesse est ut intentio illa non sit revocata, quia si revocatur, cessat influentia ejus etiam in virtute, si quidem revocatio non est solum, ut non sit actu intentio, sed ne habeat vim, et auctoritatem, seu imperium, aut motionem in media, hoc enim revocatio illa operatur. Et sic posita revocatione virtus relicta cessat, quia contraria vis, seu imperium relinquatur, scilicet ne operetur.

V. Solum dubitant aliqui, quænam sit illa virtus, in cujus vi dicitur intentio illa manere virtualiter,

quando quis postea operatur, etiam sine recordatione finis. Respondetur in hoc esse diversos modos sentiendi. Quidam censent esse qualitatem, seu dispositionem quamdam ex voluntate impressam membris externis, seu virtuti motivæ, ut Richardus in IV, dist. VI, art. I, q. III, ad secundum. Quidam qualitatem impressam non membris externis, sed appetitui sensitivo, ut Scotus in IV, dist. VI, q. VI, §. Sed mirum. Quidam attentionem, et voluntatem, quæ versatur circa actionem externam, ut Gabriel in IV, dist. VI, q. I, art. I, notab. III, et probabile reputat Suarez III tomo in III p. disput. XIII, section. III, quæ attentio dicitur semper esse in re, licet non semper sentiatur, propter sui remissionem, et debilitatem. Denique alii existimant esse ipsum actum, ex illa intentione imperatum, qui non dependet a tali intentione in conservari. Si ergo semel ratio ordinaverit istas actiones, et media, et quidquid ad consequendum finem necessarium est, etiamsi intentio finis, et cogitatio de ipso cesset, dicitur virtualiter manere in vi primæ illius ordinationis, et actus ordinati. Ita Ægidius ubi supra, in eaque solutione Suarez, Soto, Gabriel, Scotus requiescit, ut ipse refert.

VI. Ergo vero existimo, principaliter hanc virtutem manere in fine præconcepto practice, id est, ut præsentante, et dirigente quodcumque dictamen, quod homo format ad operandum ea quæ ad consecutionem talis finis requiruntur, licet de ipso fine in se actu non cogitet, ille autem præconceptus finis manet, vel in aliquo actu, qui processit per dictamen ortum a prima intentione, a qua non pendet illud dictamen in conservari, licet in fieri ab ea processerit; vel manet in memoria, in qua præsentantur res ut

præterita, et ipsimet actus quos homo fecit, et determinatio quam habuit, indeque excitatur non ad concipiendum finem in se, sed determinationem suam, quam habuit de consequendo fine, et operando propter eum, et sic in exercitio operatur, ut taliter determinatus. Itaque dupliciter potest finis præconceptus, et præintendus manere virtualiter in aliquo effectu. Primo, ratione alterius dictaminis, vel actus voluntatis orti a priori intentione, licet intentio prima cessaverit, si quidem ex uno actu oritur alius, et ex uno dictamine aliud, sicut ex fine intentio oritur dictamen, et consilium de electione, et ipsa electio cum aliis multis actibus, circa quos occupari potest voluntas cessando, et relinquendo priorem intentionem de fine; sed quia ex illa intentione ab intellectu apprehensa, et præsentata formatur practicum dictamen de electione, et executione mediorum, transfunditur virtus intentionis media illa præsentatione, seu dictamine, et actu voluntatis inde secuto, in alios subsequentes. Et quia primus actus intentionis in præsentatione, et apprehensione rationis manet, ideo etiam cessante ipso actu intentionis, manet virtus ejus, quia manet apprehensio ejus, ex qua movetur ad alios actus voluntas. Sed quia etiam apprehensio ipsa cessare potest, et homo dormire, et iterum operari de novo ea quæ sunt ad finem, sine consideratione de ipso fine, ut cum facit longum iter pro aliquo consequendo, et surgit a somno ad prosequendum iter, nihil cogitans de fine : ideo addimus, quod tunc manet illa intentio virtute in memoria, quatenus ibi manet præsentatio de priori illa intentione, quæ quidem intentio fuit de fine formaliter, et mediis virtualiter; sed non oportet, quod memoria semper

excitetur ad omne, quod illa intentio continebat, sed etiam si non præsentet expresse ipsum finem intentum, sufficit quod saltem in confuso præsentet aliquid de ipsa intentione, ut movente, seu urgente ad sui consecutionem, vel saltem medium aliquod, quod ibi virtualiter continebatur. Et ex illa memoria excitatur quis ad prosequendum media, etiam non cogitando expresse de ipso fine in se, sed solum de convenientia, et urgentia mediorum : quia de ipsis est difficultas, non de fine, qui præsupponitur. Excitatio autem, quæ fit a memoria, ubi manent præsentationes rerum, et actionum, non est necesse quod secundum totam præsentationem de aliquo objecto fiat; sed potest fieri secundum inadæquatam, assumendo aliquid de re præsentata, quod magis urget, et relinquendo id quod præsupponitur, et de quo non est difficultas. Itaque uno verbo, virtus intentionis mediante præsentatione manet, vel in memoria, vel in dictamine, vel diversis dictaminibus, quorum unum oritur ex alio.

VII. Quod si dicas : Nam ipse finis, et intentio ejus, et virtus ejus sæpe non præsentatur, nec de novo nos excitat, sed obliviscitur quis illius finis; quo modo ergo potest ex tali fine, seu ex virtute ejus operari, media præsentatione cum nihil de illo præsentetur, responderetur non esse necesse quod finis ipse actu in se præsentetur, sic enim requiretur actualis recordatio illius; sed sufficit quod præsentetur ipsum medium, hic et nunc exequendum, prout proportionem, et convenientiam habet cum illo fine, quæ convenientia est respectus ad illum, nunc enim virtualiter talis finis ibi relucet, sicut in effectu relucet causa virtualiter. Et sic apprehenso illo medio, prout sic con-

venienti, et proportionato, virtualiter apprehenditur in eo finis, et determinatio ejus, quamdiu retractatus non est.

VIII. Sic colliges doctrinam istam ex S. Thoma. Nam in hac 1-2, quæst. cix, art. viii, inquit: « Quod in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, et secundum habitum præexistentem. » Ubi finis solum dicitur operari, ut præconceptus, id est, ut ante conceptus, et sic loquitur de fine jam non actu cogitato; sed de quo cogitatum fuit, et ex illa præconceptione erumpit in repentinis ad actum. Præconceptio autem illa, cum pertinet ad intellectum, solum potest manere, vel in actuali dictamine, vel in memoria. Item in II, dist. xl, quæstion. i, artic. v ad sextum, inquit: « Quod non oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum, sit semper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in finem aliquem proximum: sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines, in finem ultimum referantur: sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. » Ubi s. doctor explicat ordinationem virtualement, per hoc quod aliquando omnes fines proximi, in finem ultimum referantur. Et hoc iterum fieri dicit: « Per hoc quod aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, etc. » Ista autem cogitatio dirigendi se totum Deo, dictamen practicum est; mediante ergo hoc dictamine, vel actualiter posito, vel in memoria conservato, et inde excitante ad prosequendum media, intentio præconcepta operatur, modo antea explicato representationis finis, in se, vel in medio.

IX. An vero ex hoc dictamine, et intentione imperante diffundatur,

et imprimatur aliquid in potentiis inferioribus imperatis, non quidem per modum qualitatis permanentis post transactam intentionem, sed actualiter impressum per modum transeuntis, dum motio illa durat? Non pertinet ad præsens, nec ex ista quæstione pendet, virtualitas intentionis, de qua agimus. Videantur tamen de hoc quæ diximus in libris de anima, quæst. xii, art. vi.

X. Circa interpretativam relationem in finem, quam aliqui virtualement appellant, non virtute operantis, sed operis; ut Vazquez hic disp. vi, cap. i, notab. II, et disp. xxxii, cap. II, advertendum est, illam distinguere ab actuali, et virtuali: quia istæ important intentionem, vel actu existentem, vel præteritam, interpretativa autem nullam intentionem aut cogitationem supponit de tali fine, neque præsentem, neque præteritam; sed conditionate extitutam, si cogitaretur, aut quæ præsumitur fore ex dispositione subjecti, aliisque circumstantiis. Quare interpretativa, et virtualis relatio, seu ordo in finem, in hoc distinguuntur quod virtualis, est effectus ex præcedenti intentione relictus, interpretativa vero tenet se ex parte causæ ad intentionem habendam, quia quantum est ex dispositione, et inclinatione, modoque operandi subjecti judicatur, et præsumitur aliquem sic volitutum, si adverteret, vel casus occurreret; præsumptio enim, et interpretatio ex similibus fit. Et hac ratione suo modo virtualis dici posset, pro ea parte qua tenet se ex parte causæ, seu inclinationis ad causandum, et causa virtualiter continet effectum.

XI. Quod si dicas: Si iste nunquam habuit actum, sed intentionem circa istum finem, unde judicari potest, aut quo fundamento, quod illum intenderet: si autem aliquem actum habuit circa talem fi-

nem, jam operatio inde emanans virtualiter dicitur tendere in finem, scilicet ex vi, et virtute præcedentis intentionis. Quod si illam habuit et interruptit, nec virtualis, nec interpretativa manet; alias qui cecidit in peccatum mortale postquam fuit in gratia, interpretative operaretur propter Deum in omnibus quæ agit. Quod si nusquam operatus est circa talem finem, non solum erit habitualis relatio in finem, vel solum erit potentia ipsa, si habitum non habet, quæ indifferens ad hunc finem volendum, vel ad contrarium, nec magis ex illa interpretabimur velle hunc finem, quam oppositum.

XII. Respondetur interpretationem voluntatis lato modo fieri, nec per se requirere quod præcesserit actus operans in particulari, et determinate circa talem finem, quamvis ex hoc non dubitemus majorem posse præsumptionem surgere, nisi contraria voluntas interposita sit; sed ad præsumptionem, et interpretationem sufficit, quod circa similes materias aliquis operatus sit, et inde sic dispositus, aut inclinatus, vel assuefactus, maneat, ut in aliis non dissimilibus casibus idem existimetur operaturus, quia eadem, vel similis ratio currit; sicut possum judicare interpretativam voluntatem principis, aut prælati circa aliquam facultatem concedendam, vel non concedendam, quia ex similibus motivis solet alias eam dare, et ita si ei proponeretur, daret. Imo in hoc fundatur epikia, quia format dictamen de eo quod faceret princeps, contra vel præter legem suam, si talis casus occurreret, quia in similibus id facit, vel facere debet. Itaque non oportet, quod recta præsumptio, et interpretatio, fundetur in facto, sed in simili, aut quasi simili, vel in debito quod fieret, et aliis similibus circumstantiis.

XIII. Circa habitualement relationem ad finem, notandum est, illam aliquos non distinguere, a virtuali, et pro hac parte refertur D. Bonaventura in II, dist. xli, artic. i, quæstion. III ad ultimum. Sed communiter oppositum tenetur, quia auctores, præsertim super dist. vi, in IV sententiarum, non admittunt sufficere habitualement intentionem ad administrationem sacramentorum, virtualement tamen admittunt. Et D. Thomas loquens de peccato veniali, dicit compati cum habituali ordinatione in Deum per habitum charitatis, quia non excludit illum, cum tamen actualement, vel virtualement intentionem in Deum, nec ab ordinatione relicta in illum procedit, ut patet infra quæst. lxxxviii, articulo I ad secundum, et in 2-2, quæst. xxiv, articulo x ad secundum, ubi dicit quod in peccato veniali amatur, amatur propter Deum habitu, non actu, id est, amatur sine exclusione habitus, qui est ad Deum. Et videri etiam potest quæstion. vii, de malo, articulo I ad nonum. Quare habitualis relatio ad Deum dicit puram, et meram concomitantiam cum actu, non influxum aliquem in illum, neque actu, neque virtute: et sic differt ab intentione actuali, vel virtuali. Similiter differt ab interpretativa; quia habitus dicit nudum actum primum cum indifferentia applicationis ad utendum, vel non utendum tali habitu, in propriis actibus, nec in aliis similibus, quia ad proprios solum inclinatur, idque in actu primo. Interpretativa autem relatio, et ordinatione, sumitur ex aliqua determinatione, et dispositione voluntatis, vel in se, vel in aliis; unde formatur judicium et præsumptio, quod sic fieret, si casus occurreret. Præsumptio autem nunquam formatur ex habitu, nisi per aliquos actus manifestetur; quia ex consuetudine, et frequentatis actibus generatur habi-

tus, sed tunc non est pure habitualis ordinatio, nec in vi ipsius habitus fit illa interpretatio, et præsumptio, sed in vi actuum præcedentium.

XIV. At vero si consideretur præcise ipse habitus, ut informans potentiam, non inducit præsumptionem; quia potest stare cum contraria intentione, ut cum homo est conversus ad Deum per veram penitentiam, et nondum eiecit a se habitus pravos vitiorum, quos diu acquisivit, ex talibus non sumitur ordinatio præsumpta in finem prævum, dum bona opera facit. Et qui retinet habitum charitatis, et peccat venialiter, non ordinatur in Deum, etiam interpretative in illo actu. Quare habitus præcise, ut informans subjectum, et non ut operans, nullam dicit influentiam, neque secundum moralem æstimationem, ut interpretativa ordinatio, neque physicam, actualem, neque virtuales, et ex parte dictaminis, sed puram concomitantiam ad alium finem, quæ habitualis ordinatio comparatur cum opposita actuali, vel virtuali, ut patet in exemplis allatis. Dicit ergo habitus, seu habitualis ordinatio, sic considerata ut præcise existens in subjecto, præcisam concomitantiam, non autem influentiam in actum, in quem ipse non influit, seu ab eo egreditur. Unde actus procedens a subjecto in quo existit habitus, sed non ab ipso habitu, non potest inducere rationem meriti ex sola concomitantia habitus; quia habitibus, nec meremur, nec demeremur, et consequenter, nec concomitantia habituum, si alias non habent influentiam in actum: quia si influentiam non habent in actus, neque actus ipsi proportionem, et ordinationem accipiunt in finem talis habitus; sine proportionem autem, et ordine ad finem non est meritum et digni-

ficatio consequendi talem finem.

XV. Dices: Habitus acquisitus per actus, est virtus quædam relictæ ex talibus actibus ad actus similes: ergo sufficiens ratio est, ut dicatur manere in eo, tanquam in virtute intentio illa, quæ habetur actualiter per ipsos actus. Cur enim alia virtus sufficit ad continuandum virtualiter illam intentionem, et non virtus, quæ est habitus? Quod si id facit habitus acquisitus, etiam faciet infusus; licet enim effective non procedat ab actibus, æquivalet tamen, et habet eandem perfectionem, quam habitus acquisitus respectu actuum, respondetur habitum esse quidem virtutem ex actibus relictam, et ad actus similes inclinantem; sed esse inclinationem in actu primo, et quoad specificationem actus, indigentem autem applicatione et intentione, et dictamine, ut in actum determinetur, et egreditur; de se enim compatitur cum applicatione, et dictamine ad oppositum, ut vidimus. Non operatur autem finis, neque ordinat actus ad se, nisi per applicationem, et voluntatem: quia proprium est finis movere ipsum agens ad agendum, et inclinare affectu, et pondere suo; quæ inclinatio tenet se ex parte efficaciam, et applicationis. Unde virtus habitualis relictæ ex actibus, quæ solum inclinatur ad specificationem actus, est autem indifferens, et in potentia ad applicationem in hoc vel in oppositum, non est virtus conducens ad ordinationem in finem, ex intentione neque actuali, quia non est actus; neque virtuali, quia non est dictamen relictum ex actu præcedenti, et instans seu urgens, et applicans ad alios actus ex fine; neque interpretativa, quia non est dictamen, aut dispositio ex similibus, et morali modo, aut præsumptione inclinans ad tales casus, et ad talem finem, si occurreret.

RESOLUTIO QUÆSTIONIS.

XVI. His præsuppositis ad difficultatatem hujus articuli, respondetur duplici conclusione. Prima, omnes actiones humanæ, et a voluntate procedentes, sunt propter aliquem ultimum finem explicite, vel implicite volitum, qui sit ultimus saltem respectu ipsius operis; licet non in omni actione requiratur ordo ad finem, qui sit simpliciter ultimus respectu operantis. Actiones autem non humanæ, sed necessariæ, vel etiam pure entitative sumptæ, non moraliter habent finem ultimum simpliciter, qui est finis aliarum rerum universi in esse physico, scilicet ipsum Deum, qui omnia propter semetipsum fecit. Hæc conclusio quoad utramque partem exprimitur a D. Thoma. Et quidem prima pars affirmatur ab ipso in hac quæstione, articulo sexto universaliter loquendo, quod in omni actione detur finis ultimus, licet modus quo sit ultimus (scilicet in aliquibus solum respectu operis, in aliis etiam respectu operantis) ex aliis locis eliciatur, ubi agit de fine peccati venialis, ut latius dicemus sequenti articulo. Posterior autem pars affirmatur ab ipso D. Thoma articulo octavo sequenti, ubi ostendit, Deum esse ultimum finem hominis, et aliarum rerum, licet non ab omnibus assequendus in se per fruitionem, sed in aliquo alio extra Deum, quod sit participatio quædam Dei.

XVII. Igitur quoad utramque partem conclusionis oportet duo probare. Primum, quoad rem ipsam, scilicet, in omni actione debere dari finem ultimum. Secundum, quoad modum, scilicet, qualiter talis finis ultimus sit vel simpliciter ex parte operantis, et operis; vel saltem ex

parte operis, licet non ex parte operantis. Primum probatur eadem vi, qua ostenditur omnem actionem pendere a causa finali, et efficienti, et omnem appetitum sub ratione boni procedere, quod utique bonum vel est perfectum, et sic est ultimum; vel ad perfectum tendens, et sic respicit ultimum, et ab illo pendet. In his duobus resumitur tota probatio D. Thomæ in hoc articulo sexto. Igitur omnem actionem dependere a causa finali, sicut et ab efficienti certum est, cum omne agens agat propter finem, si certo et determinate agit, vel determinate agitur, et movetur, alias fortuito, et a casu procedet, si extra finem agit. Oportet ergo in istis causis assignare determinatum principium, quod in agentibus erit primum movens, in finibus ultimum appetibile. hæc enim se habent ut principia, seu capita causarum, unde omnis influentia derivatur. Ergo tam certum esse debet, quod in omni actione datur ultimus finis influens finaliter, sicut est certum, quod datur unum primum movens, seu agens influens efficienter. Patet consequentia, quia ideo requiritur unum primum agens in efficientibus, ut non procedatur in infinitum in causis: et ideo non potest procedi in infinitum, ut possit assignari determinata, et certa causalitas, quæ de novo incipiat operari, sicut de novo videmus multos effectus, et operationes incipere; sed similiter si non daretur ultimus finis unde inciperet intentio operantis, esset processus in infinitum in finibus, aut non daretur finalis causa quæ moveret: ergo nunquam inciperet finis aliquis de novo finalizare, et movere, nec intentio prima daretur ad operandum; sed qualibet data, alia restaret prior, a qua dependeret; et sic esset indeterminata illa causalitas. Remota autem causali-